

www.e-rara.ch

Pub. Virgilio Maronis Opera

Vergilius Maro, Publius

Amstelaedami, 1730

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 25.944: a

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62960>

Liber III.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER III.

Postquam res Asiae, Priamique evertere gentem
 Inmeritam visum superis, ceciditque superbum
 Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja;
 Diversa exsilia, & desertas quaerere terras
 Auguriis agimur divum, classemque sub ipsa 5
 Antandro & Phrygiae molimur montibus Idae;
 Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
 Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas;
 Et pater Anchises dare fatis vela jubebat:
 Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo, 10
 Et campos ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
 Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis DIs.
 Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
 (Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo;
 Hospitium antiquum Trojae, sociique Penates, 15
 Dum fortuna fuit. Feror huc, & litore curvo
 Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis:

Aeneas-

Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
 Sacra Dionaëae matri, divisque ferebam
 Auspicius coeptorum operum: superoque nitentem
 Caelicolum regi maëtabam in litore taurum. 21
 Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
 Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
 Accessi, viridemque ab humo convellere silvam
 Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras: 25
 Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
 Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos
 Vellit, huic atro liquuntur sanguine guttae,
 Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
 Membra quatit, gelidusque coëit formidine sanguis. 30
 Rursus & alterius lentum convellere vimen
 Insequor, & causas penitus tentare latentis:
 Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.
 Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestis,
 Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis, 35
 Rite secundarent visus, omenque levarent.
 Tertia sed postquam majore hastilia nisu
 Adgredior; genibusque adversae obluëtor arenae;
 (Eloquar, an fileam?) gemitus lacrimabilis imo
 Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad auris: 40
 Quid miserum, Aenea, laceras? jam parce sepulto:
 Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja
 Externum tulit: aut cruor hic de stipite manat.

Heu!

Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
 Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea textit 45
 Telorum seges, & jaculis increvit acutis.
 Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
 Obstupui, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.
 Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
 Infelix Priamus furtim mandarat alendum 50
 Threicio regi; cum jam diffideret armis
 Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
 Ille, ut opes fractae Teucrum, & fortuna recessit,
 Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
 Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro 55
 Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
 Auri sacra fames? postquam pavor ossa reliquit,
 Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
 Monstra deum refero, & quae sit sententia, posco.
 Omnibus idem animus, scelerata excedere terra; 60
 Linqui pollutum hospitium, & dare classibus austros.
 Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
 Aggeritur tumulo tellus: stant manibus arae
 Caeruleis maestae vittis, atraque cupresso;
 Et circum Iliades crinem de more solutae. 65
 Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
 Sanguinis & sacri pateras: animamque sepulcro
 Condimus, & magna supremum voce clemus.
 Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti

Dant

Dant maria, & lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt focii navis, & litora complent. 71

Provehimur portu: terraeque, urbesque recedunt.

Sacra mari colitur medio gratissima tellus

Nereidum matri, & Neptuno Aegeo:

Quam pius Arcitenens, oras & litora circum 75

Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit:

Inmotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Huc feror: haec fessos tuto placidissima portu

Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos, 80

Vittis & sacra redimitus tempora lauro,

Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.

Jungimus hospitio dextras, & tecta subimus.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto.

Da propriam, Thymbraee, domum: da moenia fessis,

Et genus, & mansuram urbem. Serva altera Trojae 86

Pergama, reliquias Danaum, atque inmitis Achillei.

Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?

Da, pater, augurium; atque animis inlabere nostris.

Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente, 90

Liminaque, laurusque dei; totusque moveri

Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.

Submissi petimus terram, & vox fertur ad auris:

Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum

Prima tulit tellus, eadem vos ubere lacto 95

Acci-

Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
 Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
 Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
 Haec Phoebus: mixtoque ingens exorta tumultu
 Laetitia: & cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt, 100
 Quo Phoebus vocet errantis, jubeatque reverti.
 Tum genitor veterum volvens monumenta virorum.
 Audite, o proceres, ait, & spes discite vestras.
 Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;
 Mons Idaeus ubi, & gentis cunabula nostrae 105
 Centum urbis habitant magnas, uberrima regna:
 Maximus unde pater, si rite audita recordor,
 Teucus Rhoeteas primum est advectus ad oras.
 Optavitque locum regno. Nondum Ilium, & arces
 Pergameae steterant: habitabant vallibus imis. 110
 Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera,
 Idaeumque nemus: hinc fida silentia sacris,
 Et juncti currum dominae subiere leones.
 Ergo agite, &, divum ducunt qua jussa, sequamur:
 Placemus ventos, & Gnoſſia regna petamus: 115
 Nec longo distant cursu: modo Juppiter adſit,
 Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
 Sic fatus, meritos aris maſtavit honores,
 Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
 Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
 Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis 120

Idomenea ducem, defertaque litora Cretae,
 Hofte vacare domos, fedesque adftare relictas.
 Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
 Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donyfam, 125
 Olearon, niveamque Paron, fparfasque per aequos
 Cycladas, & crebris legimus freta confita terris,
 Nauticus exoritur vario certamine clamor.
 Hortantur focii, Cretam proavosque petamus.
 Profequitur furgens a puppi ventus euntis, 130
 Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
 Ergo avidus muros optatae molior urbis,
 Pergameamque voco. Laetam cognomine gentem
 Hortor amare focos, arcemque attollere teftis.
 Jamque fere ficco subductae litore puppes, 135
 Connubiis arvisque novis operata juvenus;
 Jura domosque dabam: subito cum tabida membris,
 Corrupto caeli tractu, miserandaque venit
 Arboribusque fatisque lues, & lethifer annus.
 Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant 140
 Corpora. Tum sterilis exurere Sirius agros
 Arebant herbae, & victum feget aegra negabat.
 Rurfus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenfo
 Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
 Quam fessis finem rebus ferat: unde laborum 145
 Tentare auxilium jubeat: quo vertere curfus.
 Nox erat, & terris animalia fomnus habebat.

Effigies sacrae divum, Phrygiique Penates,
 Quos mecum a Troja, mediisque ex ignibus urbis
 Extuleram, visi ante oculos adfatae jacentis 150
 Infomnis, multo manifesti lumine, qua se
 Plena per infertas fundebat Luna fenestras.
 Tum sic adfari, & curas his demere dicitis:
 Quod tibi delato Ortygiam diciturus Apollo est,
 Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit. 155
 Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
 Nos tumidum sub te permensi classibus aequor:
 Idem venturos tollemus in astra nepotes,
 Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
 Magna para, longumque fugae ne linque laborem. 160
 Mutandae sedes. Non haec tibi litora suavit
 Delius, aut Cretae jussit confidere Apollo.
 Est locus, Hesperiani Graji cognomine dicunt,
 Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae.
 Oenotri coluere viri: nunc fama, minores 165
 Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
 Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,
 Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
 Surge age, & haec lactus longaevo dicta parenti
 Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque requirat
 Ausonias. Dictaea negat tibi Juppiter arva. 171
 Talibus attonitus visis, ac voce deorum,
 (Nec sepor illud erat; sed coram agnoscere vultus,

Velatasque comas, praesentiaque ora videbar:

Tum gelidus toto manabat corpore sudor) 175

Corripio e stratis corpus, tendoque supinas

Ad caelum cum voce manus, & munera libo

Intemerata focis. Perfecto laetus honore

Anchisen facio certum, remque ordine pando.

Agnovit prolem ambiguum, geminosque parentis. 180

Seque novo veterum deceptum errore locorum.

Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,

Sola mihi talis casus Cassandra canebat.

Nunc repeto haec generi portendere debita nostro;

Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare. 185

Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros

Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?

Cedamus Phoebos, & moniti meliora sequamur.

Sic ait: & cuncti dictis paremus ovantes.

Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis 190

Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.

Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullae

Apparent terrae, caelum undique, & undique pontus:

Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber, 194

Noctem, hiememque ferens, & inhorruit unda tenebris,

Continuo venti volvunt mare, magnaue surgunt

Aequora. Dispersi jactamur gurgite vasto.

Involvere diem nimbi, & nox humida caelum

Abstulit. Ingeminant abruptis nubibus ignes.

Excutimur cursu, & caecis erramus in undis. 200
 Ipse diem noctemque negat discernere caelo,
 Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
 Tris adeo incertos caeca caligine soles
 Erramus pelago: totidem sine fidere noctes.
 Quarto terra die primum se attollere tandem 205
 Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
 Vela cadunt; remis insurgimus: haud mora, nautae
 Adnixi torquent spumas, & caerulea verrunt.
 Servatum ex undis Strophadum me litora primum
 Accipiunt. Strophades Graeco stant nomine dictae, 210
 Insulae Ionio in magno: quas dira Celaeno,
 Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
 Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
 Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
 Pestis & ira deum Stygiis sese extulit undis. 215
 Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
 Proluvies, uncaeque manus, & pallida semper
 Ora fame.
 Huc ubi delati portus intravimus; ecce
 Laeta boum passim campis armenta videmus, 220
 Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
 Inruimus ferro, & Divos, ipsumque vocamus
 In partem praedamque Jovem. Tum litore curvo
 Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
 At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt 225

Harpyiae, & magnis quatiunt clangoribus alas,
 Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
 Inmundo: tum vox taetrum dira inter odorem.
 Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
 Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris, 230
 Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
 Rursum ex diverso caeli caecisque latebris
 Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis:
 Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capeffant,
 Edico, & dira bellum cum gente gerendum. 235
 Haud secus ac iussi faciunt: tectosque per herbam
 Disponunt ensis, & scuta latentia conduunt.
 Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere
 Litora; dat signum specula Misenus ab alta
 Aere cavo. Invadunt focii, & nova proelia tentant,
 Obscaenas pelagi ferro foedare volucres. 241
 Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
 Accipiunt; celerique fuga sub sidera labfae
 Semefam praedam & vestigia foeda relinquunt.
 Una in praecelsa confedit rupe Celaeno, 245
 Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
 Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvenis,
 Laomedontiadae, bellumne inferre paratis
 Et patrio Harpyias infontis pellere regno?
 Accipite ergo, animis atque haec mea figite dicta. 250
 Quae Phoebus pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo

Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
 Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
 Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
 Sed non ante datam cingetis moenibus urbem, 255
 Quam vos dira fames nostraeque injuria caedis
 Ambefas subigat malis absumere menfas.
 Dixit: & in silvam pennis ablata refugit.
 At fociis subita gelidus formidine sanguis
 Deriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis, 260
 Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
 Sive deae, seu sint dirae obscaenaeque volucres.
 Et pater Anchises, passis de litore palmis,
 Numina magna vocat, meritosque indicit honores.
 DI, prohibete minas: dI, talem avertite casum: 265
 Et placidi servate pios. Tum litore funem
 Deripere, excussosque jubet laxare rudentis.
 Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis,
 Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
 Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos, 270
 Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis.
 Effugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna,
 Et terram altricem faevi execramur Ulyxi.
 Mox & Leucatae nimbofa cacumina montis,
 Et formidatus nautis aperitur Apollo. 275
 Hunc petimus fessi, & parvae succedimus urbi.
 Anchora de proxa jacitur. Stant litore puppes.

Ergo

Ergo insperata tandem tellure potiri,
 Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
 Aethiaque Iliacis celebramus litora ludis. 280
 Exercent patrias oleo labente palaestras
 Nudati focii. Juvat evasisse tot urbis
 Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostis,
 Interea magnum sol circumvolvitur annum,
 Et glacialis hiems Aquilonibus asperat undas. 285
 Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
 Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
 Aeneas haec de Danais victoribus arma.
 Linquere tum portus jubeo, & confidere transis.
 Certatim focii feriunt mare, & aequora verrunt. 290
 Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
 Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
 Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.
 Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
 Priamiden Helenum Grajas regnare per urbis, 295
 Conjugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum:
 Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
 Obstupui; miroque incensum pectus amore
 Compellare virum, & casus cognoscere tantos
 Progredior portu, classis & litora linquens. 300
 Sollemnis tum forte dapes, & tristia dona,
 Ante urbem in luco falsi Simoëntis ad undam
 Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat

Hecloreum ad tumulum : viridi quem cespite inanam,
 Et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras. 305
 Ut me conspexit venientem, & Troia circum
 Arma amens vidit; magnis exterrita monstros
 Deriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
 Labitur & longo vix tandem tempore fatur.
 Verane te facies verus mihi nuncius adfers,
 Nate dea? vivis-ne? aut si lux alma recessit,
 Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, & omnem
 Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti
 Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco.
 Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
 Ne dubita: nam vera vides. 316
 Heu! quis te casus dejectam conjugem tanto
 Excipit? aut quae digna fatis fortuna revisit?
 Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?
 Dejecit vultum, & demissa voce locuta est: 320
 O felix una ante alias Priameia virgo,
 Hostilem ad tumulum Trojae sub moenibus altis
 Jussa mori, quae fortitus non pertulit ullos,
 Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
 Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae, 325
 Stirpis Achilleae fastus, juvenemque superbum,
 Servitio enixae tulimus. Qui deinde secutus
 Ledaeam Hermionen, Lacedaemoniosque Hymenaeos.
 Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.

Ast illum, ereptae magno inflammatus amore 330
 Conjugis, & scelerum Furiis agitatus, Orestes
 Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
 Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
 Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
 Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit: 335
 Pergamaque Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
 Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
 Aut quisnam ignarum nostris Deus appulit oris?
 Quid puer Ascanius; superat-ne, & vescitur aura?
 Quem tibi jam Troja *** 340
 Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
 Ecquid in antiquam virtutem, animosque virilis,
 Et pater Aeneas & avunculus excitat Hector?
 Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
 Incastrum fletus: cum sese a moenibus heros 345
 Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
 Agnoscitque suos, laetusque ad moenia ducit,
 Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
 Procedo, & parvam Trojam, simulataque magnis
 Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum 350
 Agnosco, Scaetaeque amplector limina portae.
 Nec non & Teucri focia simul urbe fruuntur.
 Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
 Aulæ in medio libabant pocula Bacchi.
 Inpositis auro dapibus: paterasque tenebant. 355

Jamque dies, alterque dies processit: & aurae
 Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus aëther.
 His vatem adgredior dictis, ac talia quaeso:
 Trojugena, interpretes divum, qui numina Phoebi,
 Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera fentis, 360
 Et volucrum linguas, & praepetis omnia pennae,
 Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
 Religio, & cuncti suaferunt numine divi
 Italiam petere, & terras tentare repostas:
 Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno 365
 Prodigium canit, & tristis denuntiat iras,
 Obscaenamque famem) quae prima pericula vito?
 Quidve sequens tantos possim superare labores?
 Hic Helenus, caesis primum de more juvencis,
 Exorat pacem divum, vittasque resolvit 370
 Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
 Ipse manu multo suspensum numine ducit:
 Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
 Nate dea, (nam te majoribus ite per altum
 Auspiciis manifesta fides: sic fata deum rex. 375
 Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo)
 Banca tibi e multis, quo tutior hospita lustris
 Acquora, & Ausonio possis considerare portu,
 Expediam dictis (prohibent nam caetera Parcae
 Scire, Helenum farique vetat Saturnia Juno) 380
 Principio Italiam, quam tu jam zete propinquam,

Vici-

Vicinosque ignare paras invadere portus,
 Longa procul longis via dividit in via terris.
 Ante & Trinacria lentandus remus in unda,
 Et falis Ausonii lustrandum navibus aequor, 385
 Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circes,
 Quam tuta possis urbem componere terra.
 Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
 Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
 Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus, 390
 Triginta capitum foetus enixa, jacebit,
 Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
 Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.
 Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
 Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo: 395
 Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
 Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
 Effuge: cuncta malis habitantur moenia Grajis.
 Hic & Narycii posterunt moenia Locri,
 Et Sallentinos obsedit milite campos 400
 Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Meliboei
 Parva Philoctetae subnixae Petilia muro.
 Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
 Et positis aris jam vota in litore solves,
 Purpureo velare comas adopertus amictu. 405
 Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
 Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Hunc focii morem sacrorum, hunc ipse tenet:
 Hac casti maneant in religione nepotes.
 Ast, ubi digressum Siculae te admoverit orae 410
 Ventus, & angusti rarefcent claustra Pelori,
 Laeva tibi tellus, & longo laeva petantur
 Aequora circuitu: dextrum fuge litus, & undas.
 Haec loca vi quondam, & vasta convulsa ruina
 (Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas^R) 415
 Dissiluisse ferunt, cum protenus utraque tellus
 Una foret: venit medio vi pontus, & undis
 Hesperiam Siculo latus abscidit, arvaeque & urbis
 Litore diductas angusto interluit aestu.
 Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis 420
 Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
 Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
 Erigit alternos, & sidera verberat unda.
 At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
 Ora exsertantem, & navis in saxa trahentem. 425
 Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
 Pube tenuis: postrema inmani corpore pistrix,
 Delphinum caudas utero commissa luporum.
 Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
 Cessantem, longos & circum flectere cursus, 430
 Quam semel informem vasto vidisse sub antro
 Scyllam: & caeruleis canibus resonantia saxa.
 Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati

SĪ qua fides, animum si veris implet Apollo,
 Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum 435
 Praedicam; & repetens iterumque iterumque monebo.
 Junonis magnae primum prece numen adora:
 Junoni cane vota libens, dominamque potentem
 Supplicibus supera donis. Sic denique victor
 Trinacria finis Italos mittere relicta. 440
 Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem,
 Divinosque lacus, & Averna sonantia silvis;
 Infanam vatem aspicias: quae rupe sub ima
 Fata canit, foliisque notas & nomina mandat.
 Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo, 445
 Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
 Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.
 Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
 Impulit, & teneras turbavit janua frondis,
 Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo, 450
 Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
 Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
 Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tantis
 Quamvis increpitent focii, & vi cursus in altum
 Vela vocet, possisque sinus implere secundos: 455
 Quia adeas vatem, precibusque oracula poscas.
 Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
 Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,
 Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem;

Expediet; curfusque dabit venerata secundos. 468
 Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
 Vade age, & ingentem factis fer ad aethera Trojam.
 Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
 Dona dehinc auro gravia, fectoque elephanto,
 Imperat ad navis ferri, stipatque carinis. 469
 Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
 Loricam confertam hamis auroque trilicem,
 Et conum insignis galeae, cristasque comantis:
 Arma Neoptolemi. Sunt & sua dona parenti.
 Addit equos, additque duces: 470
 Remigium supplet: socios simul instruit armis.
 Interea classem velis aprare jubebat
 Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
 Quem Phoebi interpretis multo compellat honore:
 Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo, 471
 Cura deum, bis Pergameis crepte ruinis,
 Ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe velis.
 Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est.
 Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
 Vade, ait, ô felix nati pietate. Quid ultra 480
 Provehor, & fando surgentis demoror austros?
 Nec minus Andromache, digressu moesta supremo,
 Fert picturatas auri subtemine vestis,
 Et Phrygiam Aescanio chlamidem; nec cedit honori:
 Textilibusque onerat donis, ac talia fatur: 485

Acci-

Accipe & haec, manuum tibi quae monumenta mearum:

Sint, puer, & longum Andromachae testentur amorem,

Conjugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,

O mihi sola mei super Aetnae imago.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat: 493

Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.

Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:

Vivite felices, quibus est Fortuna peracta

Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.

Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum: 495

Arva neque Ausoniae, semper cedentia retro,

Quaerenda. Effigiem Xanthi Trojamque videtis.

Quam vestrae fecere manus, melioribus (opto)

Auspiciis; & quae fuerit minus obvia Grajis.

Si quando Thybrim, vicinaque Thybridis arva 500

Intraro, gentique meae data moenia cernam,

Cognatas urbis olim, populosque propinquos,

Epiro Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,

Atque idem casus unam faciemus utramque

Trojam animis. Maneat nostros ea cura nepotes. 505

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:

Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis,

Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.

Sternimur optatae gremio telluris ad undam.

Sortiti remos, passimque in litore sicco. 510

Corpora curamus, Fessos sopor inrigat artus.

Nec

Necdum orbem medium nox horis acta subibat :
 Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnis
 Explorat ventos, atque auribus aëra captat :
 Sidera cuncta norat tacito labentia caelo, 515
 Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
 Armatumque auro circumspicit Oriona.
 Postquam cuncta videt caelo constare sereno ;
 Dat clarum e puppi signum : nos castra movemus,
 Tentamusque viam, & velorum pandimus alas. 520
 Jamque rubescebat stellis aurora fugatis,
 Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
 Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
 Italiam laeto focii clamore salutant.
 Tum pater Anchises magnum cratera corona 525
 Induit ; implevitque mero ; divosque vocavit
 Stans celsa in puppi:
 DI maris & terrae, tempestatumque potentes,
 Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.
 Crebescunt optatae aurae, portusque patescit 530
 Jam propior, templumque apparet in arce Minervae,
 Vela legunt focii, & proras ad litora torquent.
 Portus ab Euroo fluctu curvatur in arcum ;
 Objeçtae salsa spumant aspergine cautes :
 Ipse latet. Gemino demittunt brachia muro 535
 Turriti scopuli, refugitque a litore templum.
 Quattuor hic primum omen equos in gramine vidi

Tondentis campum late, candore nivali.
 Et pater Anchises: Bellum, ô terra hospita, portas:
 Bello armantur equi: bellum haec armenta minantur.
 Sed tamen Idem olim curru succedere fueti 541
 Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre.
 Spes est pacis, ait. Tum numina sancta precamur
 Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis:
 Et capita ante aras Phrygio velamur amictu; 545
 Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite
 Junoni Argivae jussos adolemus honores.
 Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
 Cornua velatarum obvertimus antennarum,
 Grajugenumque domos suspectaque linquimus arva. 550
 Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
 Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
 Caulonisque arces, & navifragum Scylaceum.
 Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
 Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa 555
 Audimus longe, fractasque ad litora voces:
 Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.
 Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis:
 Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
 Eripite, ô socii: pariterque insurgite remis. 560
 Haud minus ac jussi faciunt: primusque rudentem
 Contorsit laevas proram Palinurus ad undas:
 Laevam cuncta cohors remis, ventisque petivit.

Tolli-

Tollimur in caelum curvato gurgite, & Idem
 Subducta ad Manis imos desedimus unda. 565
 Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
 Ter spumam elisam & rorantia vidimus astra,
 Interea fessos ventus cum sole reliquit;
 Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
 Portus ab accessu ventorum inmotus, & ingens 570
 Ipse; sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,
 Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
 Turbine fumantem piceo & candente favillâ;
 Attollitque globos flammaram, & sidera lambit:
 Interdum scopulos avolsaque viscera montis 575
 Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
 Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuât imo.
 Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
 Urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
 Inpositam, ruptis flammam exspirare caminis; 580
 Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
 Murmure Trinacriam, & caelum subtexere fumo.
 Noctem illam tecti in silvis innania monstra
 Perferimus: nec, quae sonitum det caussa, videmus.
 Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
 Siderea polus: obscuro sed nubila caelo; 586
 Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
 Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
 Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:

Cum subito e silvis, macie confecta suprema, 590
 Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
 Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
 Respicimus. Dira illuvies, inmissaque barba,
 Confertum tegumen spinis: at caetera Grajus,
 Et quondam patriis ad Trojam missus in armis. 595
 Isque ubi Dardanios habitus, & Troia vidit
 Arma procul; paullum aspectu conteritus haesit,
 Continuitque gradum: mox sese ad litora praeceps
 Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,
 Per superos, atque hoc caeli spirabile lumen; 600
 Tollite me, Teucri: quascumque abducite terras.
 Hoc fat erit. Scio me Danais e classibus unum,
 Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
 Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
 Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto. 605
 Si pereo, hominum manibus periisse juvabit.
 Dixerat: & genua amplexus, genibusque volutans
 Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
 Hortamur; quae deinde agitet Fortuna, fateri.
 Ipse pater dextram Anchifes, haud multa moratus, 610
 Dat juveni; atque animum praesenti pignore firmat.
 Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
 Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi
 Nomine Achemenides, Trojam genitore Adamasto
 Paupere (mansissetque utinam fortuna!) profectus. 615

Hic

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
 Inmemores focii vasto Cyclopi in antro
 Deferuere. Domus sanie, dapibusque cruentis,
 Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
 Sidera, (DI, talem terris avertire pestem) 620
 Nec visu facilis, nec dictu effabilis ulli.
 Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro.
 Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro,
 Pressa manu magna medio resupinus in antro
 Frangeret ad saxum: sanieque exaspera natarent 625
 Limina: vidi atro cum membra fluentia tabo
 Manderet, & tepidi tremere sub dentibus artus.
 Haud impune quidem. Nec talia passus Ulixes,
 Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
 Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus, 630
 Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
 Immenus, faniem eructans, ac frustra cruento
 Per somnum conmixta mero; nos, magna precati
 Numina, fortitque vices, una undique circum
 Fundimur, & telo lumen terebramus acuto 635
 Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
 Argolici clipei, aut Phoebeae lampadis instar:
 Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
 Sed fugite, ô miseri, fugite, atque ab litore funem
 Rampite. 640

Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro

Lanigeras claudit pecudes, atque ubera preffat,
 Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
 Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
 Tertia jam Lunae se coruua lumine complent, 645
 Cum vitam in silvis, inter deserta ferarum
 Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclo-
 pas

Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremesco.
 Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
 Dant rami, & vulvis pascunt radicibus herbae. 650
 Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
 Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,
 Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
 Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.
 Vix ea fatus erat: summo cum monte videmus 655
 Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
 Pastorem Polyphemum, & litora nota petentem:
 Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
 ademtum;

Trunca manu pinus regit, & vestigia firmat.
 Lanigeræ comitantur oves: ea sola voluptas, 660
 Solamenque mali.
 Postquam altos tetigit fluctus, & ad aequora venit,
 Luminis effossi fluvidum lavit inde cruorem,
 Dentibus infrendens gemitu: graditurque per aequor
 Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

Nos

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
 Supplice, sic merito; tacitique incidere funem.
 Vertimus & proni certantibus aequora remis.
 Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torfit.
 Verum ubi nulla datur dextram adfectare potestas,
 Nec poris Iōnios fluctus aequare sequendo, 671
 Clamorem inmensum tollit: quo pontus & omnes
 Intremuere undae, penitusque exterrita tellus
 Italiae, curvisque inmugit Aetna cavernis.
 At gēnus e silvis Cycloperum & montibus altis 675
 Excitum ruit ad portus, & litora complent.
 Cernimus adstantis, nequidquam lumine torvo,
 Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis;
 Concilium horrendum: quales cum vertice celsō
 Aëriae quercus, aut corniferae cyparissi 680
 Confliterunt, silva alta Jovis, lucusve Dianae.
 Praecipites metus acer agit quocumque rudentis
 Excutere, & ventis intendere vela secundis.
 Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charyb-
 din,
 Inter utramque viam, leti discrimine parvo, 685
 Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
 Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
 Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
 Pantagiae, Megarosque finus, Tapsumque jacen-
 tem.

Talia

Talia monstrabat relegens errata retrorsum 690
 Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.
 Sicanio praetenta sinu jacet insula contra,
 Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
 Ortygiam, Alpheum fama est huc Elidis amnem
 Occultas egisse vias subter mare: qui nunc 695
 Ore Arethusa tuo Siculis confunditur undis.
 Jussi numina magna loci veneramur: & inde
 Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
 Hinc altas cantes projectaque saxa Pachyni
 Radimus, & fatis nunquam concessa moveri, 700
 Apparet Camerina procul, campique Geloi,
 Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
 Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
 Moenia, magnanimum quondam generator equo-
 rum
 Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus; 705
 Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
 Hinc Drepani me portus, & illaetabilis ora
 Accipit. Hic pelagi tot tempestatibus actus,
 Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
 Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum 710
 Deferis, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
 Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
 Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.

Hic

Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
 Hinc me digressum vestris deus adpulsit oris. 716
 Sic pater Aeneas intentis omnibus unus
 Fata renarrabat divom, cursusque docebat.
 Conticuit tandem, factoque hic sine quievit.

